



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

IV. Refellitur Salmasii sententia de Christi sepulcro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

& cæmentis celari potuissent ab Apostolis, quæque Judæorum Principes ad patefaciendam fraudem, refoffa scrobe, palam haud dubie fecissent, neque absurdam suam de custodum sopore calumniam vulgassent.

IV. Sed audiamus contradicentem Salmasium. Ait ille Domini Jesu sepulcrum, cryptam fuisse in terra excavatam, lapide stratam, & inædificatam, concameratam deluper, & foramine in medio fornice apertam, quod injecto extrinsecus lapide clauderetur. Itaque in horto, cui inerat Domini monumentum, rupem fuisse negat ullam, sed subactam humum, qualem horti esse oportuit. Quæ Brocardus Monachus, cæterique recentiores secus narrant, tanquam falsa aut suspecta repudiat; Bellonium affirmare dicens, Templum sepulcro Christi impositum in plano situm esse, non in monte. In quibus sane turpissime se dat vir apprime cæteroque literatus. Nam primum constat Hierosolimam saxosam esse, & rupibus impositam. Testis Strabo, qui Hierosolymorum solum ait esse *πίεσιδος καὶ ὑπόπτειας*. Testis Hieronymus, qui Hierosolimam *totius provincie deterrimam esse, & saxosis montibus asperari* docet. Willbrandus Oldenburgensis, qui Terram sanctam adiit anno Domini millesimo ducentesimo undecimo, *Conscendimus*, inquit, *montana Hierusalem, que sunt admodum alta, lapidosa, & asperrima; & quod mirabile est, multum vini, olei, & fumenti afferentia*. Testes & peregrinatores universi, quicunque Urbem hanc lustrarunt. In his Bellonius ipse, cujus auctoritatem Salmasius præterdit. Tradit is scruposis insidere montibus Hierosolimam, quorum magna pars jam inde à vetustis temporibus hominum labore complanata & æquata, & aggesta humo contexta, frugibus ferendis idonea facta sit. Hujusmodi fuisse hortum illum Josephi Arimathæensis, cujusmodi loca vicina omnia, haud dubium est, *ὑπόλιθον* nempe, sed comportata ad aliquantam altitudinem terra, culturæ idoneum. Idcirco *λιθώδη, & Ἰαμαδάδη χαμῶδην, lapidosum & arenosum lectum*, appellat Nonnus Christi sepulcrum. Brocardi vero fidelis & diligentis scriptoris, res non fando auditas, sed sibi visas exponentis, reliquorumque omnium ipsi suffragantium auctoritatem nullo probabili argumento rejicere, quod facit Salmasius, hominis non est satis æqui, resque ex merito pensitantis. Nam quod ii de duplici crypta sepulcri Jesu referunt, id hodieque visitur, & nos ab ocularis testibus & fide dignis plerisque accepimus. Præcipua est & intima, in qua reconditum fuit Christi corpus: extima altera, & tanquam aditus ad aliam, & vestibulum. Angeli Sacellum appellat, quod illic Angelus revixisse Christum mulieribus nuntiavit. Johannes Phocas in Descriptione sacrorum locorum Palæstina, quam anno quinto & octogesimo supra centesimum & millesimum perlustravit: *το δὲ εἰς τὸσον ἡγεμονίῳ ἀνήλων τὸ θεωοποιῶν σήματός ἐστι διπλοῦν, & ἐν μὲν τῷ εἰρηναίῳ ὁ Ἰουδαίου τοῦ λίθου, ἀλλοίῳ μὲν ἠρμαῖοις ἀειφρασεύοι μὲν, ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ μέρει τῷ ἀεὶ το ἀριστεῖον ὁ λίθος λευκῶδεται, τὸ Ἰουδαίου παύου ἀφραίνῃ ὅσπερ πύργου ἕνα, ἐν ᾧ νεκρὸς καὶ ἡμιθός ὁ τῆς ζωῆς ἀνετίθη δότηρ. Specus autem, quod dominico corpori sepulcri usum præbuit, duplex est: & in uno quidem jacet revolutus lapis, candido marmore circumseptus; in altera parte, versus Brearem, lapis ferro excisus, uno circiter cubito supra pavimenti solum eminet, in quo mortuus & nudus vitæ dator depositus est. Accuratissimam speluncæ utriusque, totiusque ædificii desuper extructi descriptionem, formis expressam edidit Bernardinus Amicus Franciscanus; ut non magis de ea re, quam de Hierosolyma ipsa dubitare liceat. Scriptor antiquus Itinerarii Hierosolymitani, quem Brocardo opponit Salmasius, unius quidem cryptæ meminit, ejus nempe in qua positum est corpus Christi, sed illuc per aliam penetrari non negat: tantum ait: *Inde quasi ad lapidem missum est crypta, ubi corpus ejus positum fuit*. De situ vero Templi sepulcro impositi, quod disputat Salmasius ex testimonio Bellonii, in plano situm esse, non in monte, quid ad rem pertineat, non intelligo: nam quod inde colligit, in rupe incisum non fuisse Christi sepulcrum, minime sequitur. Bellonius strictim se hæc causa brevitas fatetur attingisse. At Bernardinus Amicus, aliique sexcenti, unius hujusce Templi septis, sepulcrum Christi, cryptasque alias in rupe excavatas, quædam etiam loca infra Templi solum depressa, & ipsam Calvaria montem contineri referunt, & montem hunc conscendi gradibus octodecim, quorum aliquot in rupe sunt excisi. Cum Templum extrueretur, ad aream ædificii æquandam, partem aliquam Golgothæ montis cædi oportuit, ut optime notavit Petrus Vallenis; sed magna tamen ejus pars superest, Templi ejusdem ambitu comprehensa. Brocardus: *Mons calvaria, in quo Dominus crucifixus est, distat à loco sepulcri centum & octo pedibus, & est ascensus à superficie pavimenti Ecclesia, ad locum ubi crux rupi infixæ fuit, viginti octo pedum*. Scribe, *XVIIII. pedum*. Nec multo post: *Non longe ab hoc loco, ubi Christus flagris casus est, descenditur per XLVIII. gradus ad locum ubi Helena invenit crucem Domini defussam*. Anonymus ab Allatio editus, in Descriptione Hierosolymorum: *ἡ δὲ ἀειρεῖα τὸ σήματος τὸ ἀγίου τῶν ἀναβαίνων**

Refellitur Salmasii sententia de Christi sepulcro. Salmas. in Solin. p. 1209, & seq.

Strab. libr. 16. Hier. in Isa. 50. Willbr. Old. Itiner. Terræ sanctæ.

Bellon. Observ. libr. 1. cap. 81.

Nonn. in Joh. 19. 41. & 20. 1.

Bern. Amic. Tractat. De ædific. Terræ sanctæ.

Petr. Vall. Tom. 1. Broc. Defec. Terræ sanctæ.

σταθόνια α'. η' δεκάτης εἰς τὸ γολγοθῆ. Sinistra Bematis sancti Sepulcri ascendit gradus quindecim, & ingreditur Golgotham. Ubi legendum, ni fallor, σταθόνια μ'. Epiphanius Hagiopolita scribit illic ascendi gradibus triginta sex; sed tum forasfse aliis scalis in Golgotham evadebatur. Denique Wilbrandus Oldenburgensis: Et sciendum quia mons Calvaria, qui modicus est, ut quidam colliculus, intra parietes Ecclesie continetur.

Marc. 13. 46.

Quinetiam Salmasius verba Evangelii manifesto sibi adverfa, sententiae suae accom- modare tentat. Nam quod scribit Marcus, monumentum Christi fuisse λατομηθρον ἐν πέτρας, perperam ait redditum fuisse à Vulgato Interprete: Quod erat excisum de petra: vel ut aliis placet, de rupe. Petram quidem fatetur olim rupem significasse, at à media aetatis scriptoribus pro camentitio & οἰκοδομικῷ lapide usurpatum. Ego vero aio vocem hanc, apud auctores Græcos & Latinos, Evangelistarum aetati sup- pares, pro rupe fuisse acceptam. Nec aliam obtinet significationem apud Evange- listas ipsos, qui sententiarum, dictionumque suarum certissimi Interpretes haberi debent. Prudens ille aedificator, quem Christus fundamentum posuisse aiebat ἐπὶ τῷ πέτρῃ, super rupem domum extruxisse utique censendus est. Petrum petrae, hoc est rupi immobili comparabat, cum super eum Ecclesiam suam aedificaturum se pollice- batur. Petras, hoc est, rupes, moriente Christo, scissas Evangelista tradidit. Pe- tram illam, cujus fluentia in deserto potasse Israëlitae scribit Paulus, non camenti- tium & οἰκοδομικὸν lapidem fuisse constat. Addit Salmasius dicendum fuisse λατομη- θρον ἐν τῆς πέτρας, si excisum intellexisset ex rupe quae inibi fuisset. Si praefixus arti- culus certum quid semper notat, rem profecto conficit Matthaeus, qui sic habet: ὁ ἐλατομησεν ἐν τῇ πέτρᾳ, nam certam quamdam petram significari necesse est. Verum nego eam semper esse vim articuli. Cum ait apud Matthæum Christus Jesus de cauto illo aedificatore: ὁμοιωσάτω ἑαυτὸν ἀνδρὶ φρονίμῳ, ὁστις ἀποδομησεν τὴν οἰκίαν ἐαυτοῦ ἐπὶ τῷ πέτρῃ, an certam aliquam petram intellexit? In parabola de seminatore, cum dixit Christum semina quaedam cecidisse ἐπὶ τῷ πέτρῃ, num petram quamdam his verbis notatam voluit? Quemadmodum autem non certum quid semper notat additus arti- culus, ita non incertum quid & indefinitum & ἀπαρέμφατον notatur semper, cum omittitur. Obvia sunt passim exempla. Sed ut à Novo Testamento non discedamus, Genealogiam Christi pertexens Matthaeus iisdem nominibus indiscriminatum addit & demit articulum: Ἀβραάμ ἐβρῆννοσ ἔ Ισραήλ. Ιουάν δὲ ἐβρῆννοσ ἔ Ιακώβ. En tibi Iacobi nomen articulo auctum & multatum, cum certa tamen persona eadem utrobique signetur. Matthaeus alibi de Gabriele Angelo: ἄγγελος κυρίου κατ' ὄναρ ἐφάνη ἀπὸ Πρα- termittit articulum, cum certum quemdam Angelum indicet. At paulo post: ἐποίησεν ὡσ ἠεροστάτην αὐτῷ ὁ ἄγγελος κυρίου. Eundem Angelum significans, adjungit articulum. Vitiligat deinde in voce λατομῶν, quam vulgo fatetur id significare, quod hic si- gnificatum volumus, nempe lapides ex lapidicina excidere, unde λατομῶν dicuntur lapidicinae: idem vero negat hoc loco sonare, sed lapides polire & quadrare ad aedi- ficandum; atque hinc λατομοὺς esse dictos, sectores lapidarios, λιδοξόους: itaque μνη- μῖον λατομηθρον ἐν πέτρᾳ, esse sepulcrum ex lapide secto & polito aedificatum, at- que idcirco à Luca appellari μνήμα λαξιδρον, quod non aliter intelligi & exponi potest, quam lapidibus caesis & quadratis constructum. Nos fatemur voces λατομῶν & λαξιδρον, id nonnumquam sonare quod vult Salmasius, eundem vero intellectum neutiquam hic obtinere dicimus, nec aliud sibi velle, quam rupem ferro excavare; & μνήμα λα- ξιδρον non aliud esse, quam monumentum in silice incisum. Quicunque enim silicem caedit & quadrat, sive radicibus suis & lapidicinae inhaerentem, sive inde excisum & extractum, alibique collocandum, is λατομῶν & λαξιδρον recte dicitur. Latomi quibus ad parandum sibi monumentum usus est Josephus Arimathæensis, in caedenda intus & quadranda rupe viva eandem adhibuerunt artem, iisdem utebantur λαξιδροτεῖς, quibus usi fuissent in caedendis & quadrandis lapidibus aliunde exeectis, & in crypta extruendis, eosque λαξιδρῆς, itidem ut λατομοὺς, merito appellassès, & opus λαξιδρον, itidem ut λατομηθρον. Glossae veteres: λαξιδρῆς. Lapidicinarius: qui lapides ex la- pidicina eruit & excidit, quod faciendum necessario fuit iis operis, quae Josephi monumentum excavarunt. Imo vero, lapis quomocunque sectus, λαξιδρῆς dici po- test. Septuaginta Interpretes vicefimo primo Numerorum capite, Ebraicum illud, הַפְּסָה רֶאֶשׁ, in capite Pissa, sive, in vertice montis, verterunt, κατὸ κορυφῆς τῆ λαξιδρῆς, supple, δεσῆς, quod mons ille præruptus esset, κατὸρρῶξ, quem nemo sanus scalpro excisum à lapidum scalptore dixerit. Frustra ergo Lucae verba nobis Salmasius obducit. Est apud Strabonem, Hierosolyma præductam fuisse παρῶν λατομητῶν, Templum vero exstructum fuisse ἐ lapide inde exciso, ἐν τῇ λίθῳ τῇ λατομηθέντῳ. Vides primum quale fuerit solum Hierosolymita- num, lapidosum videlicet, quod non aliter excavari posset, quam excisis

Matth. 7. 25.

Luc. 6. 48.

Matth. 16. 18.

Matth. 27. 51.

1. Cor. 10. 4.

Matth. 7. 24.

Matth. 1. 2.

Matth. 2. 10. 24.

Num. 21. 10.

Strab. libr. 16.

lapidibus. Vides præterea λαβουρω dici eam fossam, quæ in rupe fuerat incisa; ut λαβουρωδον μνημιον dixit Marcus, quod in petra; neque solum fossam è qua lapis exciditur, dici λαβουρω, sed & lapidem ipsum inde excisum dici λαβουρωδον. Quod si scalpro fuisset intus quadrata fossa, & aliquantum æquata, quale fuerat Josephi monumentum, λαβουρω jure dicta fuisset. Hoc enim λαβουρω differt à latomo, si rem proprius inspicias, quod rude est & informe λαβουρω opus, latomi vero politius & accuratus, quanquam sæpius confunduntur. Septuaginta Interpretes, λαβουρω λαβουρω, variis locis dixerunt, quod cum Palæstina multis locis esset ὑψηλῶς, in silice excidendæ erant cisternæ. Nonnunquam etiam dictione ἐπιλαβουρω usi sunt, φέρει δὲ λαβουρω, puteum in rupe incidendum. λαβουρω λαβουρωδον, ὅς ἐστι δὲ λαβουρωδον, cisternæ excavatas, quas non excavasti. Sic igitur intelligendum illud Marci: λαβουρωδον ἐκ πέτρας, ac si ἐπιλαβουρωδον dixisset, excavatum, incisum. Sed quid aucupamur voculas, cum ex rebus ipsis Evangelistarum sententia spectari possit. Certum est locum, in quo excisum est monumentum Christi, saxosum fuisse, ut non aliter quam ferro excavatis silicibus perfodi potuerit. Videntur hodieque in eodem loco saxa viva pleraque, suis radicibus hærentia. Observavit Petrus Vallensis bases columnarum complurium Templi, proximarum ædiculæ cui Sepulcrum inest, vivo lapide consistare, non aliunde importato, sed ὑποφωτισ. Saxum extat in Sacello Angeli nativum, & rupi suæ conjunctum. Cryptæ in vicinis locis saxo incisa cernuntur plurimæ: velut illa, in qua sepultos ferunt Arimathæensem Josephum & Nicodemum; atque aliæ etiam, in quas recipere se consueverunt peregrinatores plerique ex Orientis partibus illic confluentes. Totum denique Templum rupi inædificatum est. Ac de Sepulcro scriptores testificantur universi qui viderunt. Adamnanus Scotus, qui ex narrationibus Arcuulphi Galli Episcopi, ex Palæstina aliisque Orientis locis reducis, librum congesterat De locis Terræ sanctæ, monumentum Christi petra excisum fuisse scripsit, ut est apud Bedam in Ecclesiastica Historia Anglorum. Vixerunt autem Arcuulphus ille & Adamnanus circiter annum sexcentesium nonagesimum, Justiniani junioris temporibus. Ac interior quidem crypta, in quam conditum fuerat corpus Christi, tota vivo silici insculpta est; extima vero, quam vocant, Sacellum Angeli, partim in silice incisa, partim cæcis & extructis constat lapidibus. Sectili marmore obducta hodie hæc rupes est, sed per rimas tamen aliquas oculis digitisque ad silicem nativum aditus datur. Tota etiam intus patebat Brocardi ævo, nullo marmore contexta. Spelunca, inquit, sepulcrum Domini continens, habet in longum aliquot pedes, foris quidem marmore tecta, intus vero adhuc nuda conspicitur, sicut tempore passionis fuit. Sedtura quoque, scalprique vestigia observaverat Arcuulphus, quemadmodum ex Adamnano refert Beda. Lapidem, cui sacrum Christi Domini corpus fuit impositum, licet marmore obseptum, in tribus locis paruisse tactui & oculis peregrinorum affirmat Wilbrandus Oldenburgerensis. Atque hæc vetustiorum scriptorum testimoniiis consentiunt. Nonnus in interpretatione Evangelii secundum Johannem:

ἔλεν δ' ἐν τῷ γείτονι κήπῳ
 τῷ μὲν ἄδωμῶτιο βαδουρωδῶν ἀπὸ πέτρας,
 γλυπτός ὁ ὄρος νεβουρωδῶν

Nonn. in Joh.
 19. 41.

Erat autem in vicino horto
 Sepulcrum è rudi silice excavato,
 Totum insculptum, recens fabricatum.

Hieronymus: Unde & in monumento novo, quod excisum fuerat in petra, conditus est: ne si ex multis lapidibus edificatum esset, suffossis tumuli fundamentis ablatu furto diceretur. Quod autem in sepulcro ponendus esset, Propheta testimonium est dicentis, Hic habitabit in excelsa spelunca petra fortissima. Statimque post duos versiculos sequitur, Regem cum gloria videbitis. Hæc Salmasii opinionem funditus subvertunt: nam sepulcri Christi formam ignorare non poterat Hieronymus, Bethlehemi habitans; frequentesque illuc & ad alia Terræ sanctæ loca peregrinationes tum fuisse suscipi solitas, docet ipse in Epitaphio Paulæ: Ingressa, inquit, sepulcrum resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat Angelus, & ipsum corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens desideratus aquas fidei ore lambebat.

Hieron. in
 Matth. 27.

Nec mirum vivo silici incisum fuisse Christi sepulcrum, cum sepulcra hujusmodi plurima Hierosolymæ, & in vicinis locis cernere liceat. Talia sunt sepulcra, quæ Regum Juda dicuntur, magnifici & vere regii operis ac sumtus. Talia & sepulcra Judicum Israël, & illa Prophetarum. Tale & sepulcrum, quod sanctæ Virginis Mariæ fuisse fertur, & illa Absalom, & Josaphati, & his proximum sepulcrum Zachariæ, aliaque multa in vicinia posita. Sed & clare idiplsum demonstrat Isaias, cum ait: Quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelsa memoriale diligenter, in petra taber-

Isa. 22. 16.

naculum tibi. Atque huiusmodi sepulcra, quoniam nec incendiis obnoxia sunt, nec ruinis, in magnam integra servantur temporis diurnitatem: adeo ut hæc, quæ commemoravi, à vetustissimis temporibus excisa esse dubitare nemo possit: ac illud præsertim, quod Christi Jesu dicitur, vere ipsius fuisse probat, præter situm descriptioni Evangelistarum consentaneum, constans per omnes retro ætates, ad hoc usque tempus, scriptorum ac peregrinatorum testificatio. Unde Salmasii confidentiam satis mirari non possum, qui tantum *σοφιστικῆ* suæ tribuit, ut & clara Evangelistarum verba, & Auctorum veterum ac recentiorum testimonia, ipsiusque *ἀντιφάσις* fidem præ ea contemserit.

Tertium argumentum.

V. Tertium argumentum Adversariis suppeditant decantata à veteribus historiæ de divinis, uti crediderunt, quibusdam viris, quos ad vitam rediisse, vel stolta sibi persuasit superstitio, vel mentiendi licentia confinxit. Tales, Aristeas Proconnesius, Cleomedes Astypalæensis, Hermotimus Clazomenius, Epimenides, Er Harmonii filius, Romulus, Apollonius Tyaneus, alique, quos ad elevandam reviviscentis Christi admirabilitatem Christianis Celsus opposuit. Horum nonnullos, aliosque præterea complures, qui elati revixisse dicti sunt, toto capite celebravit Plinius: quorum plerique mortui falso crediti fuerant, cum morbi vehementia exanimati tantum essent. Multos etiam, qui à morte ad vitam reducti fuisse dicuntur, recenset Æneas Gazæus in Theophrasto, sed è medijs fere Mythologorum quinquiliis peritos, velut ludum sunt conficta, ita seriam responsionem non postulant. De reliquis pressius agamus, & præcipua hujus generis exempla spectemus.

Cels. apud Orig. contr. Cels. Mor. 3. Plin. libr. 7. cap. 52.

Falsum est rediisse ad vitam Aristeam Proconnesium.
Plin. libr. 7. cap. 52.
Herod. libr. 4. cap. 14. & 15.
Plat. Romul.

VI. Aristeam Proconnesium ferunt animam pro libitu posuisse, & resumisse. Adidit Plinius visam eam ex ore ipsius evolantem corvi effigie. Scribit Herodotus narratum sibi fuisse in Proconneso & Cyzici, cum Aristeas quondam in fullonis officina decessisset, significasse id continuo fullonem Aristeæ propinquis, reque per urbem vulgata advenisse quemdam nuntiantem, visum sibi Aristeam Cyzici, vel, ut vult Plutarchus, in via quæ tendit Crotonem, secumque congressum: adcurrentes postea in officinam fullonis propinquos Aristeæ, neque vivum eum, neque mortuum vidisse: post septimum deinde annum, cum in Proconneso comparuisset, carmen suum de Arimaspis elucubrassè, ac rursus deinde evanuisse. Didicisse se quoque Metapontini ait Herodotus, Aristeam Metapontinis aliquando videndum se dedisse, & aram Apollini iussisse extrui, sibi que statuam juxta poni, quod ad eos solos ex omnibus Italiotis adiisset Apollo, se tum comite, non utique Aristeæ, sed corvi specie, quo viso perterritos Metapontinos misisse Delphos oracula Phœbi scitatum, quid opus fieri esset, ac juxta Pythiæ demum responsum Aristeæ iussis paruisse. Hoc autem ducentis & quadraginta annis evenisse, postquam in Proconneso denuo evanuit Aristeas, subductis temporum rationibus Herodotus suspicatur. Adjicit ad superiora Æneas Gazæus, Metapontinos tempore ab hoc communia sacrificia Apollini & Aristeæ tanquam Diis fecisse. De Cyzicenis & Metapontinis silet Apollonius Dyscolus, at in Sicilia visum esse Aristeam literas docentem tradit, qua hora in Proconneso mortuus est, cumque sæpius illic apparuisset, aram ipsi erexisse Siculos, & tanquam Heroi sacrificasse. Quam fabulosa sit hæc narratio, suo more demonstravit Origenes in libris contra Celsum. Nos diversam insistentem viam, & alia falsitatis argumenta proferemus. Nam primum multum inesse constat discrepantiæ his quæ de Aristeæ tradita sunt. Vixisse eum docet Suidas Græci & Cyri temporibus: at à quibusdam Homeri magister fuisse perhibetur, ut testantur Strabo & Eustathius. Antequam illum quidem scripserat Tatianus. Eundem alii fuisse tradunt ac alterum hunc Aristæum, Poëtarum carminibus celebrem, Apollinis & Cyrenes filium, mellificii, coagulationis lactis, olivarumque culturæ inventorem, Autonoes Cadmi filii maritum, Adæonis patrem. Hunc enim à Siculis pro Deo habitum tradit Diodorus Siculus, quod Aristeæ Proconneso tribuit Apollonius Dyscolus. Hic Apollinis filius fuit; Apollo etiam à Pindaro dictus, *ὄμιος* quoque ab illo & Apollonio Rhodio, quod unum est ex Apollinis cognominibus: Proconnesius Apollinis comes fuit, & communibus cum Apolline victimis apud Metapontinos placatus, statuam prope Apollinis aram habuit. Atque hic obiter genuinam Pindari sententiam adversus Scholiasten tuebimur: nam quod de Aristæo ait ille: *ἤθρονον τὸ μὲν ἀθάνατον ἔχοντα ἔδοξεν αὐτὸν ἀθάνατον, ὡς αὐτὸν ἔχοντα ἔδοξεν αὐτὸν ἀθάνατον.* Et illum facient immortalem, ut *ἤθρονον* & Apollinem. Atqui non immortalis solum, ut Juppiter & Apollo, sed Juppiter etiam ipse & Apollo habitus est. Athenagoras in legatione pro Christianis: *ἤθρονον αἰώνιον τὸν αὐτὸν καὶ δία ἔδοξεν αὐτὸν ἀθάνατον.* (Ubi rescibendum esse καὶ pro

Apoll. Dysc. Mirab. Hist. cap. 1.

Orig. contr. Cels. libr. 3.

Suid. in *Ἀρτεμ.*
Strab. libr. 14.
Eust. in Hom. Iliad. 6.
Tatian. Orat. ad Græc.
Diodor. Sic. libr. 4.

Pind. Pyth. Od. 9.